


Georg Rudolph Böhmer

**Facultatis Medicae In Academia Wittenbergensi H. T. Decanus Georgivs Rvdolphvs Boehmer ...  
Habendam Indicit Praemissa De Plantarvm Syperficie Genera Et Species Definiente**

## **Exercit. Prima**

Vitembergae: Literis Caroli Christiani Dürri[i], [1771?]

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862450640>**

Band (Druck) Freier  Zugang



*Prosp.*

FACULTATIS MEDICAE  
IN ACADEMIA WITTENBERGENSI

H. T. DECANVS

GEORGIVS RVDOLPHVS  
BOEHMER

PHIL. ET MED. DOCT. ANAT. ET BOT. PROF  
PHYSIC. PROVINC

PANEGYRIN MEDICAM

AD D. I. MENS. NOVEMBR. A. R. S. MDCCLXXI

HABENDAM

INDICIT

PRAEMISSA



DE PLANTARVM SVPERFICIE  
GENERA ET SPECIES DEFINIENTE  
EXERCIT. PRIMA

*1-4*  
*h*  
*Nc - 4306<sup>a</sup> (1.) Caps. Nc. 4.*  
*1. 2. 11. 4.*



**N**oua scribendi oblata occasione, tractationem de plantarum superficie continuaturus, ad ea inprimis nunc respiciam, quae eiusdem dignitatem et praestantiam in classibus, generibus, atque speciebus constituendis concernunt, et hinc considerationem eiusdem botanicis quoque non inutilem, aliquando necessariam esse, luculenter ostendunt. Qui artificiale plantarum systema condiderunt, faciem externam plerumque neglexerunt, desumptis solum modo ex flore et fructu characteribus. Qui autem in classibus naturalibus constituendis occupati fuerunt, ad omnem plantae habitum, et hinc non tantum ad placentationem, radicationem, ramificationem, intorsionem, gemmationem, foliationem, stipulationem, inflorescentiam, sed etiam ad pubescentiam, glandulationem, et si quae sunt alia, in externa superficie animaduertenda, momenta respexerunt, et nunc ex his, nunc ex aliis distributionis fundamenta desumerunt. Non vero eodem modo aestimantur ea, quae faciem externam, siue, quod idem est, habitum plantarum efficiunt, gradualis potius est earum rerum utilitas et praestantia, et fatendum omnino, vltimum locum occupare superficiem, vnumque vel alterum modo ordinem inde desumi posse. Summa enim in omnibus fere, Exercit. I. p. 3. notatis, superficiei attributis, obseruatur inconstantia et varietas, et spinosum in inerme, hirsutum in glabrum, laeue in asperum frequenter

quenter mutatur, vel partes eminentes, pili et glandulae, copia, forte et figura ludunt, vel si etiam, vt *GVETTARDVS* existimavit, in his minimis corpusculis similis sibi semper natura existit, eorum tamen subtilitas, lentis ope tantum cognoscenda, vix superanda obiicit obstacula. Licet autem parum utilitatis in naturalibus plantarum ordinibus constituendis superficies habeat, aliquos tamen ab eadem commode desumserunt Botanici, et non solum *asperifolias*, a *RAIO* stabilitas, retinuit, sed *scabridas* quoque ac *luridas* distinctis ordinibus recensuit Illustris *LINNAEVS*. Et si quaedam, vltima certe, familia omnem applausum merebitur. Est singularis harum plantarum, verbis vix aptis describenda, facies et luridus color, vt hinc vel solo visu *Nicotianam*, *Belladonnam*, *Hyoscyamum*, *Daturam*, *Solanum* aliasque cognoscamus, et in vnam classem redigamus; attamen nonnullae, huc relatae, vt *Digitalis* et *Browallia* gratiori facie a prioribus multum recedunt, et e contrario ex *asperifoliis* *Cynoglossum*, et ex *contortis* *Periploca*, aliaeque tristiori suo colore *luridis* simillimae existunt.

Ad genera definienda commodius forte adhibebitur superficies. Generationem illud nec affirmari, nec negari potest. Eius enim magna in diuersis proprietatibus est differentia, aliaeque harum praestantiores, viliores aliae censentur; accedit, quod eadem ratione partium plantae diuersarum diuersimode considerentur, et quae in vna parte aestimentur, in altera negligantur. Spinas, aliosque pungendi virtute praeditos, in superficie eminentes, stimulos, ex loco natali vario et cultura, frequenter variare, notissima res est; et si etiam in multis non mutantur, potius constantissime, vt in primis illae esse solent, quae ex intima plantae substantia oriuntur spinae, permaneant, inde tamen genera minime sunt constituenda. Dantur, ratione foliorum et caulis, spinosi et inermes *Cardui*, mitesque *Vrticae* cum vrentibus commode coniunguntur; hinc solus *HEISTERVS*, post eum nullus, *Vrticastrum* ab *Vrtica* separavit. Spinae autem, quae calicem occupant, praestantiores plerumque censentur, et in vna alteraque stirpium familia definiendis generibus commode adhibentur. *Cynerocephalus* *VAILLANTII* ex solo semine, neglectis calicinis spinis, vix apte discernere possumus, potius squamas calicinas aculeatas, lanugine obductas in *Onopordo*, easque



que lateraliter mollioribus spinis ornatas, fortissimoque aculeo terminatas in Silybo, porro aculeum squamae calicinae rectum in Carduo, squamas autem apice aduncas in Bardano cum Ill. HAL-  
 LERO notamus, Carduumque et Bardanam vel solis calicinis squamis rectis et in hamum reflexis cognosci posse, assumimus. Villi aculeique, non tam apici, tunc enim esset accessorium ornamentum, quod Pappus dicitur, sed reliquae feminum periphaeriae adnati, in nonnullis familiis, praecipue umbelliferis, momentum praebent generibus construendis aptissimum. Hinc HERMANNVS in tres ordines omnes umbelliferas disposuit, et secundo ordini femina villosa et echinata tribuit; Et CRANZIUS, reiecto inuolucro, ad feminum inprimis superficiem respexit, hinc genera plura alio modo, quam LINNAEVS, ordinavit, et e. gr. Saniculam, Daucum et Caucaledem propter femina vel pilis, vel fetis, vel aculeis armata coniunxit; hinc et SCOPOLIUS Saniculam sub Astrantiae genere comprehendit. Thalami superficies an laevis sit, et nuda, an paleis, pilisue inaequalis, sedulo natari debet, praecipue in compositis floribus. Carelia solo fere thalamo nudo differt a Bidente, quae eundem paleis deciduis auctum habet; hinc ex nonnullis Hieraciis, quae alveolatum thalamum ostendunt, singulare genus Intybi nomine, condidit Nobilis de HALLER, idque solo hoc caractere ab Hieraciis differre monuit. Nec vnquam forte ludit thalamus, hinc et LINNAEVS Cinerariam amelloidem, et maxime affinem Amellum Lychnitem pro distinctis plantis assumsit, cum prior thalamum nudum, posterior paleis obsessum gerat. Aristae in graminibus nil sunt nisi spinae; Earum autem praesentiam, numerum, situm, aliasque proprietates in auxilium vocare debemus, si huius familiae genera a se inuicem discernere volumus. Hinc HALLE-  
 RVS praeter locustam et folliculum ad easdem respexit, valuulasque in muticas et aristatas distribuit; et LINNAEVS tribus aristis terminalibus Aristidam, duabus terminalibus et vna dorsali Lagurum, arista terminali tortili, basi articulata Stipam inter se separavit; Arista dorsali contorta, in medio geniculata, Auenam facile omnes cognoscimus. Etiam Lanugo, quae in quibusdam adest, tanti visâ fuit, vt eandem in Saccharo, Andropogone, praecipue in Arundine pro nota generica assumserint recentiores; seminibus, ad basin  
 longius



longius lanatis, Linagrostis vel e longinquo perspicitur. In papi-  
lionaceis quoque, ob summam partium saepe conuenientiam, pu-  
bescentia stigmatis praecipue attendi solet; Vicia solo stigmate dif-  
fert ab Eruo, quod scilicet in hoc, imberbe, in priori, sub apice  
barbatum est; ita et Pisum, Lathyro adfines, discrepat stylo, a me-  
dio ad apicem antice villosa, cum in Piso stigma tantum, stylo ad-  
natum, lanuginosum sit. Pubescentia aliarum partium nimis varia-  
bilis nunquam genericam notam exhibebit, ideo tamen non prorsus  
negligenda, dabit aliquando accidentale signum, et plantas ante  
efflorescentiam inde non raro cognoscimus. Exemplum elegans  
in Othonna tenuissa LINNAEVS in *Mantissa* p. 118 proposuit, de  
qua scripsit: *Planta nondum floruit, licet eam diu aluerim, ex villo ad ba-  
sin foliorum, vt in Othonna fruticosa iudico, ad hoc genus pertinere.* Hi au-  
tem, a spinis pilisque desumpti, characteres generici non eundem in  
omnibus valorem habent, ad eosdem potius saepius attendere nec  
potuerunt, nec voluerunt Botanici. Calicem inermem et vario mo-  
do spinosum in Centaurea non aestimauit LINNAEVS, inde vero  
HALLERVS distinctionis notam praecipue desumpsit. Absinthium et  
Artemisia, thalamo nudo et villosa distincta genera, combinantur  
a multis. Xeranthemi species aliae nudum, lanatum thalamum  
aliae ostendunt. In Athamanta plantas, seminibus glabris, pilosis  
hirsutisque praeditas, commiscuit LINNAEVS, hinc ab Eodem lon-  
gissime, vt in multis, ita praecipue in hoc genere recessit CRAN-  
ZIVS. Aparinem et Gallium recte coniungimus, etsi fructu hispido  
et glabro differunt. Aristae frequentius species, quam genera distin-  
guunt; Agrostis, Ischaemi, et Airae aliae sunt aristatae, aliae muticae.

Glandulae tandem considerandae sunt, illae praecipue,  
quae non florum interiora occupant, sed quae potius externe in va-  
riis plantae partibus animaduertuntur. Insignem earundem esse  
differentiam, GÜETTARDVS docuit; an autem omnia illa corpus-  
cula, glandularum nomine vendita, vere talia sint, maxime videtur  
dubium. Non nisi enim illa, quae succi peculiaris organon consti-  
tuunt, quaeque eundem secretum emittunt, hinc eodem madida et  
vinctuosa inueniuntur, minime autem omnes illae protuberantiae  
callosae, aridae et siccae glandularum nomen merebuntur. Si enim  
callositates in foliis eorumque petiolis, vt Cassia, Granadilla, Gos-  
sypium,



sypium, Cerasus exempla praebent, honorifico quasi glandularum nomine insignire volumus, certe etiam margaritis similes protuberantias in nonnullis Aloes speciebus, nec non glaciales micas in Mesembryanthemo crystallino, verrucas fere osseas in Hyperico balearico, et sic omnes protuberantias inter easdem referre, et glandularum numero adscribere deberemus. Glandulae autem, sint vel verae, vel spuriae, eandem forte aestimationem desiderant, quam Nectaria, eandemque obtinuisse illas, quae in flore sunt, alio tempore ostendimus, vid. Progr. de Ornamentis florum et Nectariis 1758 et 1762 edit. illas autem, et analogae corpuscula, per varias plantae partes, imprimis folia, disseminata, et lentis ope saepius modo disquirenda, eandem botanicis vtilitatem adferre, et definiendis generibus inferuire posse, GÜETTARDVS primum declarare studuit. Verum huius theoria a nullo botanicorum assumpta, et glandularum, in flore praesentium aestimatio multum quoque imminuta fuit. Non solum enim in vno alteroue genere haec neglexerunt corpuscula recentiores, vt e. gr. in Persicaria et Fagopyro videmus, quarum aliae species glandulas possident, aliae iisdem carent, omnes tamen a LINNAEO et nunc quoque ab HALLERO, in perfectissimo opere, *Historia Stirp. Helvet. inchoata* inscripto, coniunctae et cum Polygono combinatae fuerunt; verum etiam in integra Tetradyamiarum familia nihil valere haec tubercula, in speciebus variis numero et figura differre, et multis modis ludere, hinc stabilita ex iisdem genera, imprimis ADANSONIANA, infirmo niti fundamento, CRANZIUS in *Classe Cruciformium emendata* et Praefatione *Stirpium Austriacar. Part. I.* praemissa, luculenter exposuit. Si itaque florum sic dictae glandulae generibus constituendis adhiberi commode non possunt, quid sperandum de illis, aliisque filamentis, quae superficiem foliorum occupant? Genera non definiunt, vsum tamen nihilominus in iisdem habent. Ex iisdem eadem vel confirmantur, vel limitantur. Amplum e. gr. a LINNAEO constitutum Lauri genus, quod etiam Cinnamomum, Camphoram, Benzoin, Sassafras et Perseam comprehendit, in his omnibus non solum aliquam floris conuenientiam ostendit, sed omnes quoque glandulas habent vesiculares, excepta Persea, quae breuia filamenta conica gerit. Ita Petasites et Tusilago recte coniunguntur, immo Cacalia, vt quon-  
dam



dam fecerat LINNAEVS, addi posset, quia omnes in vtraque foliorum parte filamenta, valvulis distincta ostendunt, ex quorum apice filamentum tenue, Gossypio simile, exit, et quae inter se connexa album tomentum constituunt. Ita Ruyschiana et Hyssopus, Quercus, Ilex et Suber, Sanguisorba et Poterium, Conuolulus et Quamoclit glandulis conueniunt, et coniungi debent. In aliis autem, quae a nonnullis coniuncta fuerunt, generibus, diuersa horum corpusculorum figura index erit, coniunctionem illam artificialem magis, quam naturalem, hinc non tolerandam, haec potius genera separatim conseruanda esse; vti de Vicia et Faba, Opulo, Tino et Viburno, aliisque declarauit GYETTARDVS. vid. Eiusd. Comment. IV et V. Acad. Reg. Paris. 1748 et 49 inserta.

Nunc et de Speciebus, ex superficie constituendis, agendum esset, huius autem rei considerationem in aliam occasionem reseruamus, nunc potius ad illud officium exequendum accedimus, cuius causa hanc prolusionem proposuimus. Namque ex scholis nostris non sine laude dimittendus, et propter vitam Academicam, per multos annos optime actam, publica commendatione dignissimus est

Vir Nobilissimus et Doctissimus

D A V I D E S   Z E N N E R

qui vitae suae et studiorum rationes Ipse nunc exponet:

*E*go, David Zenner, natus anno huius saeculi XLVII. d. XXIII. Febr. Reinsdorfsi prope Cygneam, Parentes superstites solo Patrem Michaellem, Chirurghum, Matrem Salomen, ex familia Tämmleria. Hi Parentes Optimi omnem nauarunt operam, vt principia religionis et literarum perciperem, quo consilio me tradiderunt institutioni Sachsi, tunc temporis Diaconi, nunc vero Pastoris Reinsdorfsensis, bene meritissimi, cuius aequae ac b. Mülleri, Pastoris diligentiam atque beneuolentiam in me erudiendo gratissima semper persequar mente. A. LXII. in Lyceum Zwickaviense missus, Praeceptores habui Hennemannum, Longolium, Clodium que Rectorem, cuius praecipue magna in me collata beneficia eo valuerunt, vt ad studia Academica me applicarem. A. LXVII. d. XII. Maii Lipsiam perueni b. Wincklero, Rectore Magnif. ex quo tum Philosophiam vniuersam, tum Physicam experimentalem audiui: Clodio in humanioribus literis, b. Gellerto in Philosophia morali, Bortzio in Mathesi operam dedi. Excell. Ludwigius me Botanicam, Pathologiam,





logiam, Therapiam, Clinicam et Methodum doctrinae medicae, E. G. Bose Anatomem et Physiologiam, Poerner Materiam Medicam docuerunt. A. LXVIII. d. XX. Octobris Erfordiam cum Lipsia commutaui, ubi Rectore Magnif. Nonnio in numerum studiosorum receptus fui; Eumque in Pathologia explicanda, Nonnium in Chemia, Baumerum in Anatomia, Loeberum in arte cadauera dissectandi atque praeparandi audiui. Reuersus Lipsiam A. LXIX. Platzii Aphorismorum Boerhauii explanationibus interfui. A. LXX. d. XI. Iunii, Electorali liberalitate adiutus, factum fuit, ut Vitebergam Rectore Magnif. Hillero salutauerim, quem in Philosophicis, Ebertum in Mathematicis audiui; b. I. A. Bosium et Lipsiae et Vitebergae in Botanicis et Physiologicis Praeceptorem habui fidelissimum; Excell. Boehmero in Physiologia, Botanica, Medicina legali et Exercitationibus Disputatoriis; Magnif. Languthio in Arte obstetricia, Pathologia et Therapia generali adsui, et laudare simul debeo benevolentiam Ill. Trilleri, qua mihi semper aditus ad eum patuit, ut ex priuatis eius confabulationibus maximas utilitates me percepisse gratus confitear. Quorum Praeceptorum omnium benevolentiam, benignitatem, liberalitatemque memori semper atque gratissimo pectore culturus ero.

Addamus his: Clar. Candidatum in examinibus institutis ad propositas quaestiones optime respondisse, dignumque inuentum fuisse Summis in Medicina Honoribus suscipiendis. Vltimum itaque specimen Academicum in Dissertatione de Tumoribus subitis a dysenteria intempestiue suppressa abortis, sub Praesidio Illustris et Experientissimi D. DAN. WILH. TRILLERI, Consil. Aul. Elect. et Med. Prof. Prim. Fautoris et Collegae nostri Honoratissimi, defendendi, proximo die J. Mens. Nouembr. exhibebit. Ad quem solennem Actum Magnificum Academiae Rectorem, Illustrissimum Comitem, Patres Conscriptos, Fautores, Generosissimos Nobilissimosque Commilitones pro officii nostri ratione, ea, qua par est, obseruantia et humanitate inuitamus. P. P. Wittenbergae Dom. XXII. post Trinitatis MDCCLXXI.

---

V I T E M B E R G A E

L I T E R I S C A R O L I C H R I S T I A N I D Ü R R I

A C A D E M I A E A T Y P I S

que lateraliter mollioribus sp  
 minatas in Silybo, porro ac  
 Carduo, squamas autem apic  
 LERO notamus, Carduumqu  
 mis rectis et in hamum reflex  
 aculeique, non tam apici, tunc  
 quod Pappus dicitur, sed re  
 in nonnullis familiis, praecip  
 generibus construendis aptis  
 ordines omnes umbelliferas  
 villosa et echinata tribuit; Et  
 minum inprimis superficiem  
 do, quam LINNAEVS, ordin  
 Caucaledem, propter semina  
 coniunxit; hinc et SCOPOLI  
 comprehendit. Thalami sup  
 leis, pilisue inaequalis, sedulo  
 tis floribus. Carelia solo fere  
 eundem paleis deciduis auctur  
 quae alueolatum thalamum off  
 mine, condidit Nobilis de HA  
 Hieraciis differre monuit. M  
 hincet LINNAEVS Cinerariam a  
 lum Lychnitem pro distinctis  
 mum nudum, posterior paleis  
 nibus nil sunt nisi spinae; Ead  
 situm, aliasque proprietates in  
 familiae genera a se inuicem di  
 KVS praeter locustam et follicul  
 in muticas et aristatas distribuit;  
 nalibus Aristidam, duabus ter  
 arista terminali tortili, basi artic  
 sta dorsali contorta, in medio  
 cognoscimus. Etiam Lanugo,  
 fuit, vt eandem in Saccharo, A  
 ne pro nota generica assumserim



fortissimoque aculeo ter  
 nae calicinae rectum in  
 Bardano cum Ill. HAL  
 m vel solis calicinis squa  
 posse, assumimus. Villi  
 ccessorium ornamentum,  
 tum periphaeriae adnati,  
 is, momentum praebent  
 NC HERMANNVS in tres  
 secundo ordini semina  
 reiecto inuolucro, ad se  
 c genera plura alio mo  
 . Saniculam, Daucum et  
 fetis, vel aculeis armata  
 n sub Astrantiae genere  
 euis sit, et nuda, an pa  
 , praecipue in composi  
 lo differt a Bidente, quae  
 c ex nonnullis Hieraciis,  
 gulare genus Intybi no  
 solo hoc caractere ab  
 forte ludit thalamus,  
 t maxime affinem Amel  
 nsit, cum prior thala  
 erant. Aristae in grami  
 praesentiam, numerum,  
 care debemus, si huius  
 mus. Hinc HALLE  
 n respexit, valuulasque  
 vs tribus aristis termi  
 vna dorsali Lagurum,  
 inter se separavit; Ari  
 Auenam facile omnes  
 usdam adest, tanti visa  
 praecipue in Arundi  
 feminibus, ad basin  
 longius